

## † R. P. Petrus Morque (1872-1950)

(Prov. Lugd.)

R.P. Iulius Charon suum supradicti confratris necrologium typis mandatum incipit ab his praegnantibus verbis : « Il est tombé, le géant de nos missions. Il n'est plus, celui que nous regardions comme le type de l'*operarius inconfusibilis* <sup>(1)</sup>, qui était notre modèle et notre fierté, et sous les ordres de qui nous ambitionnions de pouvoir travailler au salut des âmes. Il est mort au champ d'honneur de la Congrégation et de l'apostolat, celui qui était parmi nous l'incarnation de la Règle et le maître autorisé et écouté de nos méthodes alphonsiennes ».

Petrus Morque est filius Lotharingiae, quae Congregationi nostrae iam tot insignes sodales dedit, et lingua eius materna erat germanica. Quam cum etiam in senectute calleret, sic servare potuit a. 1943 domum Gannat ab occupatione Germanorum. Duobus enim tribunis militum a cive oppidi nobis inimico ductis P. Rector Morque tam eloquenter in eorum lingua exposuit, scholam puerorum elementarem multo magis eorum scopo servire posse quam domum nostram, ut tertia horae pars sufficeret ad plenam victoriam reportandam.

Natus in Bérig, dioecesis Metensis, 9 Jul. 1872, filius natu maximus parentum agricolarum, fide potius quam bonis materialibus divitum, Petrus Morque ad familiam alfonsianam attractus est a pia amita, religiosa a S. Carolo Borr., et nostris PP. Dosda et Oudeville. Formationem suam recepit per septennium in iuvenatu Uvrier, per annum in noviciatu Stratum, per aliud septennium (sic enim voluerat P. Provincialis Desurmont) in studentatu Thury-en-Valois. Hic gemma eius mentis, in iuvenatu potius clausa, magis magisque se aperuit, ita ut statim postea iuberetur annis 1900-1902 philosophiam docere Thuriaci et annis 1903-1905 rhetorican Operariis.

Tum incepit eius ascensio ad diuturnam praelaturam in sinu Congregationis. In novo studentatu Provinciae Lugdunensis Attert a. 1905 fit Praefectus studentium et a. 1909 Rector domus. Superiore Provinciali P. Blan pied in Vice-Provincia Americae Meridionalis degente, P. Morque eius vices in Europa gerit, idemque postea per aliquot menses accedit ob infirmitatem Patris Provincialis Wilpotte. Superior localis continuo manet usque ad a 1947, per vices praepositus communitatibus Honnay (quae domus in dioecesi Namurensi sita postea derelicta est), Attert, Lyon,

<sup>(1)</sup> Cf. 2 Tim. 2,15.

Marseille, Toulouse, Gannat, Montauban, et solum ultimum longae vitae biennium Tolosae ut subditus vivit. Ter quoque praefuit secundo novitiatu; a. 1919 nomine Rev.mi Rectoris Maioris visitavit Provinciam Argentoratensem et a. 1932 Parisiensem; tandem a. S. Sede nominatus est Visitator Apostolicus certarum religiosarum Galliae.

Imprimis autem P. Morque in annalibus nostrae historiae vivet ut *magnus missionarius*. Verbum Dei cum successu haud communi annuntiavit in 80 dioecesibus Galliae, Helvetiae, Belgii, Hollandiae, Luxemburgi, Algeriae, Tunisiae. Missiones ab eo praedicatae et passim directae (et durabant vulgo tres quattuorve hebdomades) ascendunt ad 117, cursus vero exercitiorum clausorum (incredibile dictu) ad 329. Inter eos fuere 140 cursus habiti ad sacerdotes, res potius unica quam rara. Iam annos natus 75, praedicavit exercitia 4 Episcopis provinciae ecclesiasticae Albiensis. Certae communites religiosorum vel religiosarum non semel, sed duodecies et amplius eum sui anni secessus moderatorem habere voluerunt.

Cur praedicatio Patris Morque adeo placebat? Primum, quia erat cui libet optime intelligibilis ob claram pronuntiationem ac perspicuam et logicam rerum dispositionem. Solebat suam divisionem aperte enuntiare. Quodam vespere in missione tria puncta annuntiaverat, at ob defectum temporis tertiam partem omittere debuerat. Postridie puer (vel puella) 12 (!) annorum quaesivit ex alio missionali: « Cur heri Pater non praedicavit tertium punctum? ».

Deinde eius praedicatio nutriebatur tot dictis factisque novis. Legebat multa, et legendo, etiam ephemerides, velut apis argumentosa statim notabat sibi ea quae sacro pegmati utilia esse poterant. Aliorum tamen cogitatis suam propriam dabat notam.

Praeterea venerationem et affectum praedicatori conciliabat totus eius habitus exterior: statura alta, tranquillitas vultus, serietas mixta affabilitate, aequilibrium perfectum etc.

Denique in confratre, inflammato magno studio maioris gloriae Dei et aeternae salutis animarum, verificabatur illud: « Pectus est quod disertos facit ». Ceterum in omni magno oratore remanet aliquid secreti et mysteriosi ad explicandum successum.

Exc.mus Episcopus Lemovicensis (*Limoges*) Aloisius Rastouil quondam dixit Pl.R.P. Provinciali Duplex: « Le R.P. Morque, c'est le missionnaire N. 1, et le prédicateur de retraites pastorales N. 1 ».

Em.mus Card. Binet a. 1936, post missionem generalem Bisuntinam (*Besançon*) exclamavit: « Je sais ce que je ferai quand je voudrai remplir ma cathédrale: j'appellerai le R.P. Morque ».

Finita missione Carcassonensi a. 1943 Canonicus Suberville in periodico paroeciali ecclesiae cathedralis de sermonibus Patris Morque scripsit: « Les hommes ont particulièrement aimé cette logique, cette clarté, cette vigueur, cette conviction. Un soir où le P. Morque avait traité du devoir divin, grave et libérateur de la confession,

un homme déclarait que si ce soir-là on avait ouvert les confessionnaux, les plus réfractaires s'y seraient précipités comme entraînés par un souffle irrésistible... Elles ne s'effaceront pas de sitôt les résonances particulièrement prenantes de cet organe si puissant qui semblaient sortir d'une poitrine d'airain dans laquelle se cachait un foyer ardent de doctrine, de foi, de conviction et d'esprit apostolique... Il nous donnait en réalité l'impression d'un ouvrier géant forgeant des âmes qui se pressaient devant lui sur une gigantesque enclume ».

P. Morque non solum erat magnus concionator, sed etiam magnus « organisator ». *Analecta* 1938, p. 208-211 exhibit specimen talis operae eius, ubi iuxta eius ipsius descriptionem narrant missionem generalem, eo duce eodem anno a 49 missionariis Provinciae Lugdunensis in 19 paroeciiis civitatis Tolosae per 4 hebdomades habitam (¹).

Huic infatigabili in vinea evangelica operario caelestis Paterfamilias consolationem dedit ut duplex iubilaeum aureum, et professionis (8.9.43) et sacerdotii (29.6.49) in cordis laetitia et cum splendore celebrare posset. Post alteram tamen festivitatem sensit « advesperascere, et inclinatam iam esse diem ». Amico seni tunc scripsit : « La fin est proche. Je ne le regrette pas... Dans ce monde nouveau, nous ne sommes plus à notre place ». Nihilominus, ferrea sua valetudine fisus, exeunte Septembri in Africanum continentem se contulit, per tres ultimos anni menses in dioecesi Oranensi sacrum ministerium exercitatus; sed versus finem Novembris crisis prostatica eum coëgit domum redire. Tolosae petiit nosocomium Cours Dillon, ubi 6 Dec. operationem chirurgicam duarum horarum cum dimidia subiit, et iudicio quidem medici optime. Nihilominus ei quoque, ut multis aliis sic operatis, mox moriendum fuit. Ad confratres rediit 25 Ian. 1950, viribus fractus, devote recepit ultima sacramenta, 6 Febr. in pace Christi expiravit et post biduum tumulatus est ad latus R.P. Ioannis Favre.

R. I. P.